

discessione adiuti, copias in Cocchum duxere, omnemque illius agrum late populati sunt. At Ludovicus in Provinciam revertitur, ut pecuniam, ceteraque ad bellum necessaria in annum insequentem compararet, prout cum Alexandro convenerat. At Confederatorum Exercitus Urbem-Veterem, Montem-Falscum, & Viterbium occupavit: quod accipientes Senenses, publica latitiae signa ostendere, simulque Victoriae favere incensis animis.

Angelum de Pergula exercitus eorum Ductorem cum copiis in Bertuldum Comitem, cumque iis Jacobum Peciunum, & Jacobum Massanum Praefectos mittunt. Is per Antonium quemdam Querecolam cognomine Licinianensem, Suanam occupanda occasione oblata, Senas accessit, remque omnem cum Nicolao Bulgarino Populi tunc temporis Capitaneo contulit, a quo accessit Antonius, propositum a se rei ordinem exposuit, quam cum Collegis communicatam, alacri animo suscipere, novosque collegere milites. Nam a Florentinis Thomam Tifernatem, qui ad Sanctum Quiricum cum suis confederat, accipiunt; Stanghelinumque Palutium, qui cum emeritis quibusdam militibus Crasseti commorabatur, accesserunt. Omnium horum imperium Angelo Pergulensi demandatum est. Antonius autem, suscepto negotio, assumto secum Gallo quodam, Viro ad moenia clam conscendendum aptissimo, cum militibus ad rem peragendam progreditur. Pridie igitur Nonas Aprilis Anni 1410. noctu, ut constitutum erat, Suanam pervenientes, bifariam in insidiis prope Urbem locantur, quo Bertuldum Comitem, si praesidium allaturus occurrisset, captivarent. Viam autem, quam Cupam vocant, ingressi, Gallus, quem diximus, primus Urbis rupem, ubi murus deesset, conscendit, Antoniusque, & alii quatuor ab eo adiuti similiter. Mox alios etiam intromittentes, ad Portam celeri gradu accurrunt, Custodibus nil tale suspicantibus; quam confringentes, magnam militum partem introducunt, vitam Senensibus acclamantes: atque ita sine caede, sanguineve Civitatem omnem occuparunt. Complures in arcem confugiunt; sed quoniam non satis necessarii rebus munita erat, brevi sese militibus dedere, qui sine injuria dimittuntur.

Bertuldus autem Comes illic praesidium allaturus cum Equitibus quadringentis, ac peditibus sese proripuit; nec propterea in insidias incidit; attamen eas pernoscentes, & Urbem jam occupatam penitus intelligens, Petilianum sese recepit. Milites vero, qui Urbem ingressi fuerant, ob Comitum adventum tumultu excitati, eam diripiunt: quod eis pridem quater everserat. Antonius autem, quem supra diximus, Senas hoc nunciatus cum venisset, magna latitiae signa excitavit, & bellum contra Bertuldum publice decretum est; & Sempronianum illi per eos, quos supra memoravimus Praefectos, ademptum est, Oppidanis quibusdam prodentibus, quod igne dum pugnatur immisso, concrematum est. Farnesii vero Domini, nescio qua spe ducti, timoreve perciti, etsi Senensium stipendiis militabant, pacem cum Bertuldo, ac foedus, Senensibus insciis, inierunt. At Senenses cum tot contra se insurgentes hostes conspicerent, quo eorum numerum

imminuerent, pacem cum Coccho, & Sfortia composuerunt his conditionibus, ut Sfortia Clusium, Montem Jovis, Ripamque teneat; & Civitate donatus Montem Nigrum, Vignonemque recipiat; Cocchus autem Roccam Tintinnani, Castilionem, Castillioncelumque possideat; tributum pendant Senensibus; & amicos, inimicosque pro suis cognoscant.

Thelamonis Oppidum his diebus a Genuensium Classe occupatum est, Antonello Gonzaga Senensium militum Centurione male defendente; vel, ut plurimum fuit opinio, prode. Nam inito ab iis proelio, dum se totum Oppidum defensurum ostendit, partem incustoditam relinquit, per quam Genuenses ingressi, reliquum Oppidum occupant, atque diripiunt; ipse vero in arcem confugit, eamque, ni succurratur, post septimum diem se se daturum paciscitur. Adventum Spinellus Picolomineus Maritimae Praefectus cum Ludovici Regis quadringentis, Sfortiaque ducentis equitibus, multisque peditibus, qui tamen cum se imparem hosti conspexisset, cum eo congressi non est ausus. Quamobrem Antonellus Centurio, oblata sibi damnorum suorum refectione, ac praemissis quibusdam aliis, arcis Praefectum in vincula coniecit; Senensiumque signis dejectis, Genuensium, Ladislaique Regis erexit, Senensesque infecta rediere. Attamen post menses quatuor tradita custodi pecunia, recepte, at paulo post Catalanis quibusdam Mercatoribus incustodiam tradidere.

Haec dum agerentur, Ladislai milites, quos Cortona diximus remansisse, Sartheanum, Clancianum, ac Politianum profecti, cum Ludovici militibus proelium conferunt. Ludovicus vero Romam jam reversus abierat mense Septembri, quod postmodum Paulus Ursinus, Sfortiaque, ac Brachius pervenere, Senenses interea contra Bertuldum bellum acriter gerentes, Saturniam illi, ac Montem Acutulum ademerunt, Aringherio Nicolai filio de Aringheriis, & Paulo Johannis Landi Reipublicae Praefectis operam sedulo adhibentibus. Idque factum est Septembri mense. Et Tarralia Senensium Militum Ductor Radicophorum, occupavit, ac diripuit, & paulo post Senensibus tradidit, ab eis accepta pecunia. Postmodum vero induciae cum Bertuldo actae sunt.

Anno vero sequenti 1411. pestis in Civitate coepit erumpere; rerum omnium penuria graviter premebatur, & ideo nil memoria dignum hoc anno factum invenitur.

Florentini hoc anno pacem cum Ladislao Rege, insciis Confederatis, fecerunt, ab eoque Cortonam, data pecunia, acceperunt: quod, ab eis nunciatum Senensibus, non satis placuit. Verumtamen Oratores Neapolim ipsum approbaturus ad Ladislau misere: Hi fuere Nicolaccius Petronius, Aringherius Nicolai, & Nicolaus Boninsignius.

Johannes XXIII. Pontifex Bononiae creatus, etsi schismaticus, Aprili mense Romam se conferens, Senas pertransit, quem Senenses honorifice suscipere, magis ut Florentinis, qui illi adhaerebant, morem gererent, quam quod ut verum Pontificem venerarentur. Aderat ei Ludovicus Rex secum rediens, bellum, ut constituerat, contra Ladislau profecturus. Hi Senis paulum com-